

§. 2. Quae porro Causae, ac quali modo hic in Regno, ex Sedibus Judiciariis Comitatum, aut ex Tabulis Districtualibus, in Tabulam Regiam Judicariam transmittuntur, ac respective neque transmissibiles forent; ibidem pariter illae, illoque ac non alio modo, ex Tabula Banali, ad eandem Tabulam Regiam, transmitti debeant; aut respective pro non transmissilibus observentur:

§. 3. Causae attamen, quae immediate in Tabula Banali suscitantur; intra Dominium semper Transmissibiles erunt; Solis Causis Activis Pauperum (Conditionem Paupertatis, ad mentem Articuli 51. An. 1563. sufficienti Documento edocere in Judicio valentium) nec non aliorum etiam Causis, Acquisitionem Florenorum quingentorum non excedentibus, exceptis; quae utriusque generis Causae, ex praedicta Tabula Banali (sive in iis primae Instantiae Judicem egit; sive in eandem via Appellationis deductae fuerint;) in saepe memoratam Tabulam Regiam, non intra, sed extra Dominium Partis Succumbentis, transmittuntur.

§. 4. Intuitu autem Regnorum illorum remotioris situs, ne causantes eorundem, post etiam Causarum Suarum, factam in Tabula Regia Revisionem, diu expectandum a finali revisione, in Septemviratu subsequenda habeant; praefixio Terminorum, pro revisione Causarum illarum, per Tabulam Regiam designandorum, ita moderabitur; ut in tempus futuri Consessus Tabulae Septemviralis coincidat: Praetereaue Causarum istarum ea ratio habebitur; ut ex praedecarata ratione, in Serie Causarum Transmissionalium, causantium intra Regnum hocce residentium Causas, praecedant. *)

Ut Causam Appellans et in Foro Superrevisorio Succumbens; ad refundendos Parti Triumphanti sumptus et neglectos per eandem fructus; obligetur.

Articulus 32.

Ne supervacaneis Sententiarum, ad Forum altius provocationibus, cursus Justitiae remorari; causantesque vexari ac damnificari; imo ipsi etiam Judices inaniter onerari debeant;

§. 1. Aequitati consonum foret; ut, si equidem in Causa extra Dominium Appellantis transmissa, ipse deinde in ultimo Superrevisorio Foro triumphaverit; eidem fructus, medio tempore ab adversario percepti (paritate quoque Articuli 23. An. 1613. cum annexis oneribus, si quae forent) resarciendi veniant:

§. 2. Econtra nihilominus, si Causam Appellans, eademque ad Curiam Regiam intra Dominium deducens, ibidem succumbat; ad refusionem aequae Fructuum, per Triumphantem percipi neglectorum; sed et sumptuum eidem causatorum, obligetur;

§. 3. Ea tamen cum restrictione; ut, si in Casibus, intra, vel extra Dominium admittendarum Appellationum, is, qui in Foro Superrevisorio (Tabulae utpote Septemviralis) succubuit, priusquam Causa eo per gradus devenisset, ad

*) Modificatur praesens art. An. 1741. a. 58. Confer. Tyroc. Jur. Ung. p. 3. t. 6. §. 23. et seqq.